


















DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
INTERDICTIS.

QUAM

PRÆSIDE DEO TER. OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. WOLFERDI SENGUERDII, L. A.M. Phil. & J. U. Doct. illiusque in Illustri Academiâ Lugd.-Bat. Profess. ordinarii, celeberrimi, &c.

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in Jure utroque Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

FRANCISCUS ARDINOIS, JAC. FIL. Lugd. Bat.

Ad diem 27 Septemb. loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXV.

DEO

Ter. Optimo Maximo.

Patriæ.

Tutoribus. Amicis.

&

Præceptoribus.

Hoc lemma Inaugurale Devoto
animo ſacrum facit

FRANCISCUS ARDINOIS,
Auctor.



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE

INTERDICTIS.

PROOEMIUM.

Interdictorum materia quum difficultate non careat, & ad sui explicationem desideret ingenium satis firmum, eruditionemque magnam: nonnulli forte existent, qui superbiæ accusaturi, & saltem juvenili audaciâ exultantem delaturi sint me, de quo plura scriberem, nisi vererer perversæ ambitionis fieri reus. Hasce calumnias à me ut avertam: Sciant illi, me nequaquam hîc velle quid novi proferre, neque ullo modo contendere (uti alii, in quo tamen sæpe sese ipsos fefellerunt) hanc materiam antehàc à nemine fuisse Disputationi subjectam: verum me hîc tantum propositurum opiniones quasdam DD. circa Interdictorum materiam, quæ mihi æquiores visæ fuerunt, in ordinem quodammodo secundum seriem materiæ, uti in Institutionibus *occurrit, redactas. Hoc si fecero, nulli ansam calumniandi puto relictam. Licet enim forsitan quosdam errores erravero, &, sententiis justis rejectis, injustas elegero (quod tamen falsum esse pro virili conabor demonstrare) facile veniam merebor; quia virorum summo studio perpolitorum, & instructorum auctoritatem secutus sum, quam multum valere in materiis juris exponendis, nullus dubitat.*

CAPUT PRIMUM.

§. 1. Omnia ordine ut peragantur, videndum primo de Etymologia vocis, simulque de definitione Interdictorum. *Interdicere.* antiquis erat, *vehementius quid dicere*: propriâ autem significatione significat *prohibere*, *denunciare*: nonnulli itaque sunt, qui asserunt, *Interdicta* ideo nominari, quia in plurimis Interdictis quid prohibebatur, & sic usu demum vocem *Interdicti* abusive ad omnia Interdicta sive sint prohibitoria, sive exhibitoria fuisse translatam. *Secund. §. 1. fere in fine Inst. de Interdict.* Alii *Interdicta* volunt dici, quod inter duos dicantur. *d. §. 1. plane in fine.* Alii affirmant *Interdicta* vocari ab *interim*, quasi Prætor *interim* quid decernat. *l. 3. §. ult. ff. de lib. exhib.* Verum quicquid sit, non est quod multum de voce simus solliciti modo ipsam rem habeamus.

§. 2. *Interdicta*, teste Imperatore, *in princ. Instit. de Interdict. Olim erant formæ, atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod tunc maxime fiebat, cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur*: ab eodem Imperator subjungitur *in §. ult. Inst. eod. De ordine & vetere exitu Interdictorum supervacuum est hodie dicere. Nam quotiens extra ordinem jus dicitur (qualia sunt hodie omnia judicia) non est necesse reddi Interdictum: sed perinde judicatur sine Interdictis, ac si utilis actio ex caussa Interdicti reddita fuisset.* Id est, Jure novo, postquam ille vetus mos dandorum Judicum sublatus est, Magistratibusque ipsis injunctum, ut ipsi de caussis cognoscant, & judicent per *l. 2. C. de Ped. Jud.* uti omnes actiones extraordinariæ dictæ sunt, sic etiam hæc Interdicta. Alii censent Interdicta hodie posse vocari extraordinarias actiones, quia in iis non adhibetur plena, sed tantum brevis cognitio, & semiplena probatio. *arg. l. 8. C. unde vi. l. 3. C. de Interdict. l. un. C. si de moment. poss. fuer. appell.* quæ sententia quoque à veritate aliena non videtur.

§. 3. Sunt itaque Interdicta jure novo actiones in factum extraordinariæ, *eæque licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsâ personales sunt. l. 1. §. 3. ff. de Interd. In rem videntur conceptæ*, I. quia possessio circa ipsam rem versatur, & non circa præstationes quasdam personales. II. Quia dantur plerumque adversus quemvis rei possessorem: *vi tamen ipsâ personales sunt*, quia nullum jus

in re pro suo fundamento habent, quod necessariò requiritur, ut aliqua detur actio in rem. Plurimæ quoque differentiæ numerari possunt inter judicia, quæ ex jure in re nascuntur, seu actiones in rem, & inter hæc Interdicta, seu actiones extraordinarias. *Primo* judicia, quæ ex jure in re nascuntur, seu actiones in rem sunt petitoria: hæc vero sunt judicia possessoria. *l. 14. §. ult. ff. de except. rei jud.* *Deinde* actiones in rem locum non habent nisi certus sit rei possessor. *arg. l. 13. C. de rei vind.* in hisce evenit, ut ab initio uterque se possidere contendat, adeoque possessor non appareat. *Adhæc* in actionibus in rem tota quæstio adhibitâ plenâ cognitione, & probatione finitur: in hisce adhibitâ semiplenâ probatione possessio tantum penes aliquem declaratur. *l. 8. C. unde vi.* *Ulterius*, actiones in rem dantur adversus quosvis rei possessores: hæc vero Interdicta non dantur semper adversus quosvis rei possessores *l. 1. ff. de Interd. salv. jur ct. l. 1. C. eod. l. 7. ff. de vi & vi arm.* Denique à parte actoris differentia est, nam in actionibus in rem regulariter agit non possessor: in hisce nonnunquam agit ipse possessor; in Interdicto enim *uti possidetis*, licet quis maxime possideat, agit tamen adversus non possidentem.

§. 4. Nonnulli tamen apparent, qui contendant quædam ex his extraordinariis Judiciis esse actiones in rem: moventur *Primò*, eo quod plurima sint, quæ videntur coincidere cum in rem actionibus, & *secundo*, quod nullum aliud fundamentum harum actionum, quam jus in re assignari possit: verum hisce respondeo, licet quædam ex hisce actionibus videantur coincidere cum actionibus in rem, non ideo sequi illas ipsas quoque in rem esse: quia differentiæ *§. praecd* propositæ inter illas occurrunt, quæ differentiæ, si hisce Interdictis, prout res exegerit, fuerint applicatæ, statim evidens fiet, illa toto genere ab in rem actionibus differre. Et quod attinet ad illam objectionem, quod nullum fundamentum harum actionum, seu Interdictorum suppeditari tunc possit, si negemus illa judicia esse in rem: dicam, eorum sententiam esse amplectendam, qui statuunt fundamentum harum actionum esse æquitatem quandam, quæ Prætorem movit, & quæ est in Interdictis, *adipiscendæ possessionis*, ut nempe illi, quibus dederat bonorum possessionem, vel, qui expresse sibi pacti erant, ut illata in prædium essent pro pensionibus pignori obligata, statim etiam adquirerent possessionem, seu detentionem illorum

rum bonorum hæreditariorum, aut invectorum, & illatornm in prædium, licet jus hæreditarium penes eos non esset (aliquando enim inutilis reddebatur bonorum possessio à Prætore data *arg. l. 17. ff. de injust. rupt. irrit. fact. testam.*) vel ita plene (uti in petitione hæreditatis fieri debet) omnia non probassent: aut licet rem à Colono tantum possessam (& non uti oportebat in ejus fuisse Dominio *l. 15. §. 1. ff. de pign. & hypot.*) demonstrassent. In Interdictis *retinendæ possessionis* similis æquitatis ratio invenitur, nam cum quis possessionem nec vi, nec clam, nec precario ab adversario suo nactus sit, debet quoque per aliquod jus in eâ contra adversarium illum munitus esse. Interdictorum *recuperandæ possessionis* introducendorum justissimam quoque caussam Prætor habuit, nimirum ne daretur occasio tumultus, & rapinæ; hisce Interdictis, *spoliatum ante omnia restituere*, voluit.

§. 5. His Interdictis agitur plerùmque de possessione, salvâ proprietatis controversiâ, quod Imperator exprimit illis verbis: *quod tunc maxime fiebat, cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur, princ. Instit. de Interdict.* Dico *plerumque*, seu cum Imperatore *maxime*, quia Interdicta quædam simul proprietatis caussam continent, quæ enumerantur in *l. 2. §. 2. ff. de Interdict. l. 1. §. ult. ff. de aquâ quot. & æstiv. l. 3. §. 13. ff. de itin. actuque priv.* Quoniam vero hæc Interdicta dicantur *maxime* competere cum de possessione sit quæstio, haud inconcinnum fore puto, si materia possessionis hic paullo altius repetatur.

CAPUT SECUNDUM.

§. 1. Possessio alia *juris*, alia *facti* invenitur: *Juris* dicitur, quæ est jus succedendi ex jure Prætorio, nam, qui ex jure Prætorio succedit, dicitur succedere per bonorum possessionem.

§. 2. In definiendâ possessione, *quæ facti* est, gravissime inter sese dissentiunt Interpp. Sunt qui eam definiunt, quod sit, *Jus insistendi rei corporali*: quæ definitio non tam ipsam possessionem, quam quidem jus possidendi describere videtur: an detur jus possidendi, quod esset jus in re, inter DD. rursus controvertitur, affirmantium tamen sententia mihi magis placet: quia conjungitur aliis juribus in re *in l. 3. §. 12. ff. ad exhibend.*

& ex eo jure quoque nascitur actio Publiciana, quæ est in rem §. 4. *Instit. de act.* nullam autem actionem in rem nisi ex jure in re nasci luce meridianâ clarius est. Alii rursus aliter illam descripserunt: sed meo judicio errare non videntur illi, qui possessionem hoc modo describunt, quod sit, *detentio rei corporalis* (incorporalium enim quasi possessio est) *animo eam sibi habendi.*

§ 3. Possessio hæc (de quâ nobis potissimum agendum) *quasi sedium positio l. 1. ff. de adquir. vel amitt. poss.* facti est, *quamvis plurimum ex jure possessio mutuetur l. 49. ff. eod* ac commodè talem recipit divisionem, quod sit vel *naturalis*, vel *civilis*, idque dupliciter. Primò enim *naturalis* dicitur, cum quis corpore possidet; *civilis*, cum quis animo possidet: *l. 10. C. de adq. & retinend. possess.* Secundò *naturalis* ea est, qua quis rem tenet animo quidem sibi eam habendi, sed absque opinione Domini, quomodo possident mal. fid. possessores, vi, vel clam possidentes. *l. 6. ff. eod.*, Deinde absque opinione Domini, animo tamen possessionem sibi habendi possident fructuarii, & eorum exemplo conductores, commodatarii *l. 12. ff. eod. l. 2. §. 1. ff. pro hæred. l. 3. §. ult. cum l. seq. ff. ad exhibend.* quamvis hi posteriores dicantur tantùm in possessione esse, & ita detentores tantum, non possessores *l. 9. ff. de rei vindic.* *Civilis* possessio ea est, quâ quis possidet animo Domini, quomodo possident veri Domini & bon. fid. possessores.

CAPUT TERTIUM.

§. 1. Hæc possessio vel *acquiritur*, vel *retinetur*, vel *amittitur*, eamque ob caussam triplicis generis Interdicta comparata esse *infra* videre licet.

§. 2. *Acquiritur* præcipuè traditione verâ, vel fictâ; deinde occupatione, & accessione; non acquiritur ipso jure, adeo ut hæres, qui alias pro eâdem personâ cum defuncto quantum ad hæreditatem habetur, in possessionem à defuncto morte derelictam non succedat. *l. 23. ff. de adq. vel amitt. possess.* Nec etiam animus solus sufficit ad eam acquirendam, verum ut & animus & corpus, id est actus aliquis naturalis concurrat necesse est. *d. l. 23. l. 1. §. 1. & 3. ff. eod.* sive jam ille actus naturalis fiat per corpus nostrum, sive fiat per corpus, seu ministerium alterius, modo nos habeamus

mus animum possidendi, quippe ut nos velimus in aliis esse non potest *d. l. 1. §. 12. l. 18. §. 2. ff. eod. l. 53. ff. de acquir. rer. dom.*

§. 3. *Retinetur* possessio vel animo & corpore nostro simul, vel animo nostro & corpore alieno *l. 3. §. 12. ff. de adq. vel amitt. possess.*, vel denique solo animo, licet solo animo non adquiratur *l. 6. §. ult. & l. 7. ff. de adq. vel amitt. possess. junct. l. ult. C. eod.* Facilius enim acquisitum retinetur, quam ut initio quid adquiratur.

§. 4. *Amittitur* possessio animo, & corpore simul, non solo animo, nec solo corpore. *l. 8. ff. eod. l. 153. ff. de reg. jur. & arg. l. 35. ff. eod.*

§. 5. Commoda possessionis consistunt præcipuè in iis. I. Quod b. f. possessor fructus consumtos lucretur. *§. 2. Instit. de off. judic. l. 4. §. 2. ff. fin. regund.* II. Quod non probante actore, reus, qui plerumque possessor est, absolvatur. *l. 4. C. de edend.* III. Quod possessor non teneatur edere titulum suæ possessionis *l. 11. C. de petit. hæred.* IV. Quod in pari caussa melior sit possidentis, quam petentis conditio. *l. 9. §. 4. in fin. ff. de Pub. in rem act.* V. Quod, si dejiciatur, in continenti possit rursus dejicere, aut aliàs ante omnia veniat restituendus *l. 1. §. 30. 31. & l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm.*

CAPUT QUARTUM.

§. 1. Materiâ possessionis quodammodò sic dilucidatâ, opus est, ut despiciamus de divisionibus Interdictorum, quæ variæ occurrunt, verum brevitatis gratia nobiliores tantùm, quæ in *Institutionibus* proponuntur, exhibebo.

§. 2. Imperator ipse *§. 1. Inst. de Interd.* ait, summam Interdictorum divisionem esse, ut sint *aut prohibitoria, aut restitutoria, aut exhibitoria. Prohibitoria* dicit ea esse, quibus Prætor aliquid fieri vetat. *Restitutoria*, quibus restitui aliquid jubet. *Exhibitoria*, per quæ Prætor aliquid jubet exhiberi: variisque exemplis, quæ majori ex parte in *ff.* explicantur, illa omnia illustrat, ita ut amplieri explicatione non indigeat hæc divisio; nisi quod hoc unicum sit notandum, plurima Interdicta esse restitutoria; illa enim, quæ sunt prohibitoria, mutantur in restitutoria, si scilicet jam aliquid factum sit, nam quod factum est infectum fieri nequit;

uno

Uno exemplo id demonstrasse sufficiat, de cæteris namque idem judicium esto. Interdictum v. c. *de fluminibus, ne quid in flumine ripâve ejus fiat*, naturâ suâ est prohibitorum, verum, si jam de facto aliquid factum fuerit in ripâ vel flumine publico, hoc Interdictum fit restitutorium; Prætor enim tunc dat Interdictum eum in finem, ut tollatur quod factum est, id est, ut res in pristinum statum restituatur. *l. 1. §. 19, 20. & 21. ff. de flum. & ne quid in flum. ripâve ej. fiat.*

§. 3. Divisio *in §. præced.* proposita licet ab Imperatore vocetur summa, nequaquam ideo putandum est illam sese cæteris omnibus latius extendere, sed vocatur *summa*, quia ordine prima, nobilior, & magis frequens est, similis modus loquendi est *in princ. Instit. de jur. Person. & §. 1. Instit. de act.* Imperator post primam divisionem propositam proponit aliam *§. 2. Inst. de Interd.* maxime usitatam circa res privatorum, & utilissimam, in quâ exponendâ idem Imperator quoque in maximâ *tit. de Interd.* parte occupatus est: Verba ejus sunt *in d. §. 2. Sequens divisio Interdictorum hæc est, quod quædam adipiscendæ possessionis comparata sunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ*: scilicet adipiscimur possessionem, quam nunquam habuimus: retinemus eam, quam nunc habemus; recuperamus eam, quam amisimus. Hæc divisio non est, quod ulterius hîc exponatur, quia secuturi ordinem Imperatoris in sequentibus eam explicaturi sumus, cum videlicet singula Interdicta ab Imperatore occasione hujus divisionis proposita, paullo plenius exponemus.

§. 4. *Tertia* Interdictorum divisio hæc est *in §. penult. Instit. de Interd. Interdicta*, scilicet, *aut simplicia sunt. aut duplicia. Simplicia* vocantur, in quibus apparet quis actor, quis reus sit: *Duplicia* sunt, in quibus id non apparet, *sed unusquisque tam rei, quam actoris partes sustinet*, uti patet *ex eod. §.* in quo simul quoque exempla Interdictorum duplicium proferuntur, scilicet Interdictum *uti possideris, & utrubi.* Quomodo id veritatem suam in illis habeat in explicatione illorum Interdictorum *infra* dicemus, ac simul probabimus. Observandum venit, licet in Interdictis duplicibus non appareat quis actor, quis reus sit; ut tamen certus judiciorum, ordo constituatur, illum haberi pro actore, qui prior provocavit, pro reo, qui provocatus est: &, si uterque simul provocet, sorte dirimendum esse, quis actor, quis reus futurus sit *arg. l. 13. & l. 14. ff. de Iudic.*

CAPUT QUINTUM.

§. 1. **D**uce Imperatore aggredimur explicare divisionem secundo loco à nobis propositam, & *primo* Interdicta adipiscendæ possessionis, cujus generis duo *in §. 3. Instit. de Interd.* enarrantur, *Interdictum* videlicet *quorum bonorum*, & *Interdictum Salvianum.*

§. 2. Quod attinet Interdictum *quorum bonorum* à primis verbis Interdicti (uti plurima quoque Interdicta) sic vocatum, ejus natura ab ipso Imperatore *d. §. 3.* & ab Ulpiano *l. 1. ff. quor. bon.* exponitur, & hoc modo clare describi autumo: quod sit *Interdictum adipiscendæ possessionis competens illis, quibus à Prætore data est bonorum possessio d. §. 3. eorumque exemplo hæredibus civilibus l. 1. C. quor. bon. adversus illos qui pro hærede, vel pro possessore possident d. §. 3. l. 1. & 2. ff. quor. bon. l. 2. C. eod.* quinam illi sint *vid. in. l. 11. & 12. ff. de hæred. petit., ad id ut adquirant ipsam rerum hæreditariarum corporalium, non incorporalium possessionem, aut æstimationem eorum, quæ dolo desierant possideri. d. l. 1. & 2. ff. & d. l. 2. C. quorum bonor.* Investigatur à variis, cur hoc Interdicto, seu hac actione tantum petantur res corporales? in eo enim quoque differt ab hæreditatis petitione, quâ etiam res incorporales petuntur *l. 9. l. 13. in fin. & l. 42. ff. de hæred. petit.* verum à rationibus juris non aliena videtur ratio à Cl. Bachovio hoc loco adducta, quia scilicet incorporalia tam facilem restitutionem non admittunt, ut illa in hoc judicium summarium venirent, ideoque illa potius reservanda esse usque ad judicium petitorium, brevis enim & expedita via est, per quam possessionem adipiscimur *arg. l. 1. C. quor. bon.* Utilius tamen hoc Interdicto agitur, quia hîc tantum brevis cognitio adhibetur, & nequit objici exceptio Dominii nisi in continenti probetur *l. ult. C. eod.*

§. 3. *Interdictum Salvianum* (dicit Imperator) *quoque adipiscendæ possessionis est d. §. 3. Instit. de Interd. Directum quidem datur Domino locatori prædii rustici contra colonum non tertium possessorem* (in quo differt à Serviana) *ad consequendam rerum in fundum illatarum, & expresse pro pensionibus obligatarum possessionem d. §. 3. l. 1. ff. de Salv. Interd. & l. 1. C. eod. Utile*, ex communi DD. opinione, *creditoribus quibusvis hypothecariis datur adversus quosvis rei quomodocunque obligatæ possessores arg. d. l. 1. §. 1. ff. eod.*

CA-

CAPUT SEXTUM.

§. 1. Retinendæ possessionis Interdicta duo ab Imperatore §. 4. *Instit. de Interd.* proferuntur: Interdictum videlicet *Uti possidetis*, *& Utrubi.* Hæc duo jure veteri duplici; jure novo uno tantùm modo inter sese differunt: jure veteri Interdictum *Uti possidetis* versabatur circa res immobiles: *Utrubi* circa res mobiles, quæ erat prima differentia: Secunda erat, quod in Interdicto *Uti possidetis* ille vinceret, qui tempore Interdicti nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidebat: in Interdicto *Utrubi* ille, qui majore anni parte eodem modo possederat; adeo ut Interdictum *Utrubi* aliquando esset *retinendæ*, nimirum si ille possidebat, qui majore anni parte possederat *l. 156. ff. de verb. signif.* aliquando *recuperandæ possessionis*, nimirum si ille, qui majore anni parte possederat tempore Interdicti non erat possessor, sicut, cum Interdictum *Uti possidetis* ita proponebatur, *Uti eas ædes nunc possidetis, quominus ita possideatis &c. l. 1. in princ. junct. l. 3. §. 6. ff. Uti possid.* Interdictum *Utrubi* sic esset proponendum, *Utrubi hic homo quo de agitur majore anni parte fuerit l. 1. ff. Utrubi.* Sed jure novo priore manente posterior differentia sublata est, uti ipse Imperator testatur *d. §. 4. Inst. de Interd.* responsumque Ulpiani *in l. unic. §. 1. ff. Utrubi* videtur à Compilatoribus *ff* interpolatum.

§. 2. Hæc Interdicta *Uti possidetis*, *& Utrubi* sic vocari à primis verbis Interdicti jam dictum, & demonstratum: quia vero unica tantum differentia jure novo est inter hæc duo Interdicta, scilicet quod Interdictum *Uti possidetis* sit de rebus immobilibus, *Utrubi* de rebus mobilibus, facili modo ea simul dilucidari posse, nec ut seorsum unum post alterum exponatur necesse fore credo.

§. 3. Interdictum *Uti possidetis* (de Interdicto *Utrubi* idem judicium esto, reservato illo unico jam proposito discrimine) sic describi potest: Quod sit *Interdictum retinendæ possessionis, duplex, annale l. 1. ff. Uti possid competens ei, qui nec vi, nec clam nec precario ab adversario possidet d. l. 1. §. ult contra eum, qui se quoque possidere contendit, ad id, ut ipse justus alter injustus declaretur possessor, ac præstetur id quod interest possessionem turbatam non esse*: fit hîc æstimatio possessionis, non rei *l. 3. §. ult. ff. eod.* Judicium hoc ajo esse *duplex*, quia uterque actor, & reus est, uterque enim se possidere

 con-

contendit, quod etiam monui §. 4. *Cap*. 4. Dubium autem hîc aliquod oritur ex responso Pauli *in l.* 3. §. 5. *ff. de adq. vel amitt. poss.* sed dupliciter huic occurritur à Vinnio, dicente, licet reverâ duo possessores ejusdem rei eodem possessionis genere possidentes esse nequeant, tamen id aliquando ita videri, ita ut de qualitate illorum actuum sit cognoscendum: vel etiam duos posse possidere diverso possessionis genere alter civiliter, & justè, alter naturaliter, & injustè *l.* 6. §. 1. *ff. eod. junct. l.* 3. *princ. ff. Uti possid.* Cur uterque hîc possidere velit, seu contendat, ratio est evidens, videlicet propter possessionis commoda à me *supra* §. *fin. Cap.* 3, proposita.

§. 4. Personas, quibus hoc Interdictum competit, dixi esse, *qui nec vi, nec clam, nec precario ab adversariis* (ab aliis licet vi, clam, vel precario possideant, id iis quantum ad hoc Interdictum non est nociturum *l.* 1. §. *ult. & l.* 2. *ff. eod.*) *possident*: adeoque hinc recte infertur, illis, qui tantum in possessione sunt, hoc Interdictum non accomodari, *aliud enim est in possessione esse, aliud possidere l.* 10. §. 1. *ff. de adquir. vel amitt. poss. l.* 3. §. 8. *ff. uti possid.* Scrupulus hîc invenitur, scilicet fructuario dicitur competere hoc Interdictum. *l. ult. ff. eod.*, qui tamen possidere negatur *in* § 4. *Instit. per quas pers. cuiq. acq. & in l.* 6. §. 2. *ff. de precar.* Sed duplex, ut hic scrupulus tollatur, responsio suppeditari potest: *Primo* dicendum multa fructuario esse concessa, licet propriè non sit possessor, quia tamen jus in re habet, & nonnunquam asseritur naturaliter videri possidere. *l.* 12. *ff. de adq. vel amitt. poss.* nonnunquam Dominus quoque vocatur *l.* 8. *princ. ff. de reb. auct. jud. possid.*, ac ob hasce rationes illum in hisce Interdictis pro possessore haberi, unde ei quoque dari Interdictum *unde vi* patet *ex l.* 3. §. 13. *& seqq. ff. de vi, & vi arm. Secundo* responderi potest, quod usufructuarius habeat jus quoddam incorporale, cujus quasi-possessio penes eum est (incorporalia enim vere possideri negantur *l.* 4. §. 27. *ff. de usuc. l.* 32. *in fin. de servit. præd. urban.* sed eorum quasi possessio est *l.* 23. §. 2. *ff. ex quib. causs. maj. l.* 10. *ff. si servit. vind. l.* 3. §. *penult. ff. de vi, & vi armat l.* 5. §. *penult. de itin. actuque priv.*) atque adeo licet ei directum non accommodetur Interdictum, tamen utile (Interdictum namque utile extensum est ad res, quæ in jure consistunt *l. ult. ff. uti possid. l.* 8. §. 5. *ff. si servit. vindic.*, *& arg. l. ult. ff. de servit.*) ei accommodari.

Hoc

Hoc Interdictum non datur hæredi ejus, qui possedit, nisi ipse hæres apprehenderit possessionem, quia possessio non transit ipso jure ad hæredem *l. 23. ff. de adq. vel amitt. possess.* & per consequens non potest hæres petere, ut defendatur in possessione, quam non habet.

§. 5. Finis hujus Interdicti est, ut in possessione quis muniatur, adeoque si jam probaverit alteruter litigantium se esse possessorem, quia vel solus forsitan fructus rei percepit, vel in ædibus supellectilem, vel in fundo aratra, boves &c. habuit, Interdicto hoc stabilitur in possessione, & uti dictum *§. 3. hujus Cap.* succumbens debet præstare interesse turbationis: ille autem, qui ita in possessione confirmatur, tenetur cavere se pendente petitorio judicio rem non esse redditurum deteriorem *l. unic. C. uti possid.*

CAPUT ULTIMUM.

§. 1. Ultimo loco §. 6. *Instit. de Interd.* occurrit Interdictum *unde vi*, quod profecto, licet secundum ordinem divisionis postremo loco sit propositum, utilitate, & usu primum meretur. Appellatur Interdictum *unde vi* rursus, uti sæpius dixi, à primis verbis Interdicti, Prætor enim ait, *unde vi illum dejecisti &c. l. 1. ff. de vi, & vi armat.* Interdictum hoc pro suo fundamento habet à Canonibus receptam regulam, quæ dicit, *spoliatum ante omnia restituendum*, uti etiam monui *§. 4. Cap. 1. add. l. 6. §. 1. C. unde vi.*

§. 2. Ex definitione, seu descriptione hujus Interdicti ejus naturam manifestissimam reddi puto. Interdictum itaque *unde vi* est *Interdictum recuperandæ possessionis, competens ei, qui de possessione rei immobilis vi dejectus est, adversus dejicientem, ad id, ut restituatur possessio rei immobilis cum mobilibus, quæ ibi fuerunt, ac fructibus, à tempore dejectionis perceptis, simul cum omni caussa, ac eo quod interest.*

§. 3. Hoc Interdictum competit *ei, qui de possessione rei immobilis vi dejectus est, hæredique ejus l. 1. §. 44. ff. de vi, & vi arm.* Requiritur igitur, ut quis reverâ possessor fuerit *d. l. 1. §. 26.*: unde etiam hoc Interdictum non datur illis, qui tantum in possessione

COROLLARIA.

I.

Fidejussor in majorem summam fidejubens tenetur usque ad summam concurrentem.

II.

Ad factum præcise quis cogi nequit.

III.

Unde loco facti solet præstari interesse.

IV.

Hinc infero venditorem non posse præcise cogi ad rem venditam tradendam, quia traditio in se involvit factum, sed liberari præstando interesse.